Fragmentarium

nove domus domini audiente omni populo.
Cumque audisset micheas filius gama
rie filii saphan omnes sermones domini ex li
bro. descendit in domum regis ad ga
zophilatium scribe et ecce ibi omnes
principes sedebant. helisama scriba
et dalaias filius semeie. et helnathan
filius achobor. et gamarias filius sa
phan. et sedechias filius ananie. et
universi principes. Et nuntiavit eis mi
cheas omnia verba que audivit legen
te baruch ex volumine in auribus populi.
Miserunt itaque omnes principes ad baruch
iudi filium nathanie filii selemie. fi
lii chusi. dicentes. Volumen ex quo le
gisti audiente populo. sume in manu
tua. et veni. Tulit ergo baruch filius
nerie volumen in manu sua. et venit
ad eos. Et dixerunt ad eum. Sede et le
ge hec in auribus nostris. Et legit baruc
in auribus eorum. Igitur cum audissent
omnia verba. obstupuerunt unusquisque
ad proximum suum et dixerunt ad baruc.
Nuntiare debemus regi omnes sermo
nes istos. Et interrogaverunt eum di
centes. Indica nobis quomodo scrip
sisti omnes sermones istos ex ore eius.
Dixit autem eis baruch. Ex ore suo lo
quebatur quasi legens ad me omnes ser
mones istos. Et ego scribebam in
volumine atramento. Et dixerunt
principes ad baruc. Vade et abscondere
tu et ieremias. et nemo sciat ubi
sitis. Et ingressi sunt ad regem i
atrium. Porro volumen commendaverunt
in gazophilatium elisame scribe.
et nuntiaverunt audiente rege omnes
sermones istos. Misitque rex iudi ut su
meret volumen. Qui tollens illud de ga
zophylatio elisame scribe legit audi
ente rege. et universis principibus qui
stabant circa regem. Rex autem sedebat
in domo hiemali in mense nono. Et posi
ta erat arula coram eo plena prunis.
Cumque legisset iudi tres pagellas vel
quattuor scidit illud scalpello scribe. et
proiecit in ignem qui erat super arulam
donec consumeret omne volumen igni

qui erat in arula. Et non timuerunt neque
sciderunt vestimenta sua rex et omnes servi eius
qui audierunt universos sermones istos. Ve
runtamen elnathan et dalaias. et gama
rias contradixerunt regi ne combureret librum
et non audivit eos. Et precepit rex ieremi
hel filio amelech. et sarare filio ezri
hel. et selemie filio abdehel. ut compre
henderent baruch scribam. et ieremiam
prophetam. Abscondit autem eos dominus. Et
factum est verbum domini ad ieremiam. postquam
combusserat rex volumen. et sermones
quos scripserat baruch ex ore ieremie. di
cens. Rursum tolle volumen aliud. et
scribe in eo omnes sermones priores. qui erant
in volumine priore quod combussit ioachim
rex iuda. et ad ioachim regem iuda di
cens. Hec dicit dominus. Tu combussisti vo
lumen illud dicens. Quare scripsisti in eo adnun
tians. Festinus veniet rex babylonis
et vastabit terram hanc et cessare fa
ciet ex illa hominem et iumentum. Prop
terea hec dicit dominus contra ioachim regem iu
da. non erit ex eo qui sedeat super solium
david. et cadaver eius proicietur ad estum
per diem. et ad gelu per noctem. Et vi
sitabo contra eum. et contra semen eius. et contra
servos eius iniquitates suas. Et adducam
super eos. et super habitatores ierusalem
et super viros iuda omne malum quod
locutus sum ad eos et non audierunt. Ie
remias autem tulit volumen aliud. et de
dit illud baruch filio nerie scribe. Qui
scripsit in eo ex ore ieremie omnes sermones
libri quem combusserat ioachim rex iuda
igni. Et insuper additi sunt sermones mul
to plures quam ante fuerant. XXXVII
Et regnavit rex sedechias
filius iosie pro iechonia filio ioachim
quem constituit regem nabuchodono
sor rex babylonis in terra iuda. et non
obedivit ipse et servi eius. et populus terre verbis
domini que locutus est in manu ieremie
prophete. Et misit rex sedechias iuchal
filium selemie. et sophoniam filium maa
sie sacerdotem ad ieremiam prophetam dicens.
Ora pro nobis dominum deum nostrum. Ieremias
autem libere ambulabat in medio populi

STC BBC1001-17

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 30.1, (seq. 33) – Jeremiah and Lamentations (https://fragmentarium.ms/view/page/F-zshm/1117/15762)